



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus V. Argumentum. Erectio Cappellaniæ facta ab Episcopo diverso modo ab eo, quo fuit dispositum à Fundatore, est reformanda ad formam dispositionis ejusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

ARGUMENTUM.

Ereçtio Cappellaniæ facta ab Episcopo diverfo modo ab eo, quo fuit difpofitum à Fundatore, eft reformanda ad formam difpofitionis ejuſdem.

SUMMARIUM.

1. *Negligente hærede, aut Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, Epifcopus devenire valet ad illius adimplementum.*
2. *Cappellania ereçta in titulum perpetui beneficii contra voluntatem Fundatoris volentis illam eſſe amovibilem, eſt reformanda in Cappellaniam amovibilem ad formam teſtamentaria difpofitionis.*

C A S U S V.

Relatum fuit in Sacra Congregatione Concilii in *Æſina Cappellania* 22. Aprilis 1719., quod anno 1672. Joannes Jacobus de Ambroſiis à fundamentis extruxit in Caſtro Roſorii Eccleſiam in honorem S. Ambroſii, emiſſa jurata promiſſione de eadem dotanda, in cujus obligationis executionem die 8. Octob. 1695. pro dote aſſignavit Prædium in vocabulo *li Pratelli*, cujus annui redditus ſcutorum circiter 50., percipi deberent à Cappellano, cui fuit impoſitum onus celebrandi per ſe, vel per alium quatuor Miſſas qualibet hebdomada. Et in eo, quod attinet ad Juſpatronatus activum, illud reſervavit pro ſua, & descendentiũ maſculorum à Sindulpho Germano Fratre Familia in infinitum; in eoque quod ſpectat ad Juſpatronatus paſſivum, ad illud vocavit Sacerdotes, & Clericos, ex prædictis Familiis, quatenus adſent, in qua hypotheſi ſtatuit, quod nominatus amoveri non poſſet, & quatenus ex dictis Familiis Clerici, aut Sacerdotes non adſent ita ut exteri eſſent præſentandi, tunc voluit, quod Præſentatus eſſet amovibilis ad beneplacitum Patronorum, cumque voluerit ſe ſubjicere prædictis legibus, & ſibi per conſequens plenam aſſe-

Pars V.

ruerit libertatem in præſentando, nominavit, & præſentavit ad Cappellaniam quendam ſuum conſanguineum Vincentium Durellum Monachum ordinis Ciſterciensis Romæ commorantem, quatenus à Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuiffet, & facultatem tranſeundi ad ordinem Cluniacenſium, huncque à ſe nominatum voluit, quod Rector eſſet, & perpetuus Cappellanus.

Paulò poſt aſſignationem dotis, Joannes Jacobus è vita deceſſit, cumque nominatus, ſeu præſentatus ab ipſo propter incapacitatem à ſtatu Monachali derivantem, Cappellaniam obtinere non potuerit, non fuit ab hæredibus facta iſtancia pro ereçtione Beneficii; quo circa accedente Epifcopo *Æſino* ad viſitationem Caſtri Roſorii anno 1697., poſt facta nonnulla Decreta, tam quoad quamdam januam, per quam habebatur ingreſſus in Eccleſiam à Joanne Jacobo extructam, quam quoad ſupelleſtilia Altaris; fuit ab eodem præfixus terminus duorum menſium hæredi ad petendam ereçtionem Beneficii, & provisionem Rectoris, ipſoque negligente adimplere mandata intrà tempus præfixum, iſtante Promotore Fiſcali, Epifcopus declaravit, Beneficium eſſe ad ſe devolutum, illudque auctoritate ordinaria erexit, & iſtituit in beneficium perpetuum, impoſita Cappellano obligatione celebrandi quatuor Miſſas qualibet hebdomada, juxta ea, quæ fuerunt à Fundatore præſcripta, & Cappellaniam contulit Sinibaldo Durello Germano fratri Patris Vincentii Durelli, qui præſentationem, uti diximus, à Fundatore reportaverat.

Sinibaldus immiſſus fuit in poſſeſſionem Cappellaniæ die 19. Septembris 1699. ſed mortuo Patre Vincentio Durello anno 1713., delataque hujus mortis notitia ad Philippum de Ambroſiis, fuit ab hoc tamquam Patrono nominatus ad Cappellaniam Nicolaus Bartolinus, exortaque inter hunc, & Sinibaldum controverſia, poſt prolatam à Vicario *Æſino* ſententiam favore Sinibaldi, inter cætera diſputatum fuit in Sacra Congregatione ſequens dubium = *An ereçtio Cappellaniæ S. Ambroſii Caſtri Roſorii ad titulum perpetui beneficii ſit reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra fami-*

C c 2

liam

liam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem = .

Putabat Sinibaldus Cappellaniam Sancti Ambrosii erectam in titulum perpetui Beneficii non esse reformandam in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris, non obstante ejusdem voluntate. Etenim negligente hærede, & Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, dum interpellatus ab Episcopo in visitatione anni 1697., & expectatus per biennium semper renuit erectionem petere beneficii, nominationem Rectoris explere, Missas celebrare, aut celebrari facere, nec non suppellectilia, aliaque necessaria præstare, ob tantam Patroni negligentiam, & contraventionem, justè potuit Episcopus devenire ad erectionem Cappellaniæ, & eam efficere simpliciter perpetuam, cum ad ipsum spectet omnium Beneficiorum suæ Diocesis institutio, & fundatio, nec absque ejus assensu ea fundari possint, juxta dispositionem *Canonis XXVIII. Part. II.*, & Auctoritates ibi in *Commentario* relatas; quæ erectio est attendenda, & prævalere debet cuicumque dispositioni Fundatoris juxta superius firmata dicta *Part. II. Can. I. & II. Cas. VII. num. 9.*

2 Ego verò studens in hac causa, meum aperiendo sensum, censebam supradicto

dubio *Affirmativè* esse respondendum; Clara, namque sunt verba Fundatoris disponentis Cappellaniam debere esse amovibilem in hypothesi, in qua ad eam præsententur Cappellani extra Familiam Fundatoris, ibi = *Quod Cappellanus eligendus ab hæredibus masculis regulariter sit amovibilis, semperque eligatur unus de Familia, quatenus existat, quod vult esse perpetuum, & quatenus non existerent Sacerdotes, seu Clerici de Familia Ambrosiana, eo casu Cappellanus, seu Rector sit amovibilis* = Unde Episcopus non poterat hanc legem foundationis alterare, & efficere hanc Cappellaniam simpliciter perpetuam, contra voluntatem ejusdem Fundatoris omnino servandam juxta Auctoritates superius relatas dicto *Cas. VII.* ubi supra *n. 4.*, & consequenter quicquid male gesserit ordinarius reducendum venit ad justitiæ tramites, & erectio Cappellaniæ ab ordinario facta in titulum beneficii perpetui licet do nec quousque rescindatur, & reformetur, observanda veniat, ut notavi dicto *Cas. VII. num. 9.*, tamen est reformanda in Cappellaniam amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem. Et ita resolutum fuit ab eadem Sac. Congregatione dicta die 22. Aprilis 1719.

C A N O N X I I .

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXV. Cap. IX.

Sicuti legitima Patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est, sic etiam, ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis imprudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus Jurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico fundamento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum
juris